BARTHOLOMAEUS DE MONTAGNANA

Salzburg, 1471 Seite 315v

Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8258
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek



dirigat ea in salute ipsius
Ad laudes eius in mortales Amen.

·lxxxv.tum

Consilium pro quadam honesta dna. In quatuor nocumentis videlz matricis Renum Epatis, et totius capitis etc.

Ex hijs que michi ad quesita respondendo scripta fuerunt, et ex hijs que in notate preter predicta accepi, manifeste apparet dispositiones huius dne multiplices, et multiplicium esse membrorum. Primum nocumentum in matrice ipsius deducitur ex cursu matricis materierum corruptarum ab ipsa euacuatione quod ipsarum fetor subia et colorum varietas ostendit, quod enim ab ea tam longo tempore potuisset euacuari materie, quin magnum nocumentum in ea factum fuit, etiam si per colligantiam a diuersis membris incepisset egrotare matrix. Secundum nocumentum apparet in renibus eius et lumbaribus partibus interioribus et exterioribus et in neruis et ligamentis predictarum partium accidisse dolores enim in partibus illis perseuerantes ostendunt. Tertium est epatis eius debilitas a mala complexione ipsius epatis frigida et humida materiali, siue ipsa per colligantiam a matrice processerit siue propter nocumentum essentiale ipsius acciderit. Quartum est iterum capiti communicatum ymo credo quod transiuerit etiam ad fixum in capite nocumentum a mala complexione predicta euenies, dolores enim et accidentia quamplura in narrata ostendunt caput nucham epar renes notabiliter lesa quorum membrorum aliorum nocumentum a matrice contingere poterit propter colligantiam quam habet ad omnia predicta vt clare legi pt xxi. tercij ca. 1o. versus finem. Vnde ex omnibus predictis sequitur.

Correlarium primum. Quod hee dispositiones sunt multum verende eo, quia sunt pluribus membris communicate et per essentiam iterum in eis fixe. Secundum quod tales dispositiones minantur huic dne difficultatem impregnationis ymo sterilitatem. Tertium quod si impregnabitur hec mulier infelicitabitur fetus ymo abortietur. Quartum quod si fetus prouenit ad partum naturalem impossibile erit ipsum sanum oriri et permanere. Quintum quod siue in aborsu emittatur fetus siue in partu naturali cum maxima dubitatione et spes pauca de vita matricis in eis. Sextum quod cura huius dispositionis cum tanta accidentium varietate et multitudine est multum difficilima propter quod sequitur. Primo quod oportet magnam adhiberi attentionem in cura huius mulieris vt nunc sequitur.

Regimen bonum huius dne vt habitet aerem camera et loca calida et sicca. notabiliter a decursibus aquarum et locis terraneis et ab aspectu septentrionali elongata. Et euitet cibaria frigida et humida viscosa et opilatiua vt bletam spinachiam citrullos attriplicem lactucam endiuiam et similia. Et euitet cibos multe caliditatis et apertionis vt feniculum petrosellinum et brodia

1m cor.m
2
3
4
5
6
7